

Equiali parallelam, partium decem & septem cum sexta quasi. Atqui ostensum est, distantiam à Cory promontorio, usque ad auream Chersonesum, partium esse triginta quatuor & quatuor quingentorum: tota igitur distantia, quæ est à Cory Cattigarâ usque, partium ferme quinquaginta duarum esse colligitur. Verum meridianus, qui & per Indi fluminis principia paulo secundum Marinum occidentalis est boreali Taprobanes promontorio, quod ex opposito Cory situm est: at Taprobane distat à meridiano, qui per Betis fluminis est ostia, horarum interstitiis octo, partibus uero centum uiginti, meridianus uero ille qui per Betis transit ostia, ab eo qui per Fortunatas est insulas, partibus quinque: ita ut meridianus per Cory à Fortunatis distet insulis paulo plus partibus centum uiginti quinque: qui uero per Cattigarâ ab eo, qui per Fortunatas transit insulas ad illud idem promontorium paulo plus partibus centum septuaginta septem, secundum eandem ferme distantiam partium, qui per Rhodiensem colligitur parallelum. Sed supponatur tota longitudinem usque ad Sinarum metropolim, partium esse integrarum centum octuaginta, horarum uero duodecim, quoniam omnes consentiunt eam Cattigaris orientalis esse, colligent per Rhodiensem longitudinem stadia septuaginta duo millia ferme.

In caput decimum quartum annot.

Capite precedenti inuestigauit Ptolemæus longitudinem inter Cory promontorium et auream Chersonesum interceptam, hic demonstrat quanta sit distantia ab aurea peninsula usque ad Sinarum metropolim, colligitque gradus 17. & minuta 10. sumpta uidelicet navigatione ab aurea peninsula usque ad Cattigarâ, quæ statio est Sinarum habes in longitudine gradus 177. & in latitudine australi gradus 8. atque dimidium. Et ut hoc longitudinis interuallum clarius pateat, reiecta inepta traditione Marini, comparat distantiam navigatione duabus alijs, quarum altera ab Aromatis ad Rhapta, alteram à Rhaptis usque ad Prasum promontorium factam supra capite 8. demonstrauit. Hac itaque comparatione infert, parallelam æquinoctiali longitudinem ab aurea Chersoneso usque ad Cattigarâ esse propè graduum 17. & minutorum 10. Post hæc concludit longitudinis differen-

tiam à Cory promontorio usque ad auream peninsulam ferè graduum 52. atque uniuersalem cognitam terre longitudinem continere 180. gradus, uel 12. horarum interualla. Porro Zabæ uitas est India maritima, habes in longitudine gradus 168. minuta 20. & in latitudine septent. gradus 4. min. 45. Aromata emporium, habent in longitudine gradus 83. in latitudine 6.

DE IIS QUAE IN PARTICULARI expositione Marini dissentiant. Cap. XV.



gitur distantias uniuersaliter in tantum contraximus, & longitudinis ad ortum, & latitudinis ad meridiem, propter causas expositas. Cæterum & particulariter ciuitatum positiones multoties emendatione dignas putamus, in quibus pugnautes, aut non consequentes expositiones fecit, propter compositiones diffusas & uarias, diuersis editis commentarijs, quæ ad modum in his quæ opposita esse credidit. Nam Tarraconem ait ex opposito Iulie Cæsare sitam esse, meridianum per hanc & montes Pyrenæos scribens, qui tamen non parum Tarracone sunt orientalis: Pachynumque Lepti magnæ, ac Thexnis Himeram opponit, distantia à Pachyno ad Himeram quasi stadiorum quadringentorum collecta: ea uero quæ à Lepti ad Thegnas est, supra mille quingentorum, quemadmodum ex his patet, quæ Timosthenes scribit: rursusque Tergestum Rauennæ opponi inquit, & ab intimo sinu Adriæ, qui iuxta Tiliaemptum est fluuium Tergestum abesse uersus ortum æstiuum stadia quadringenta, Rauennam uero ad hybernum ortum stadiis mille. Similiter Chelidoneas refert Canobo oppositas esse, Acamataque Papho, Paphum autem Sebennito: uerum distantia, quæ ab ipso à Chelidonæis in Acamantam mille stadiorum, necnon quæ à Canobo in Sebennitum, à Timosthenes ducentorum nonaginta esse ponitur, si sub eisdem iaceret meridianis, longe maior esse deberet, quoniam maioris paralleli subtendit circumferentiam.

Rursus